



ILLUSTRISSIMO


GYMNASIO THORUNENSI

TRIA SAECULA FELICITER TRANSACTA

CONGRATULANTUR

**RECTOR ET PRAECEPTORES
COLLEGII FRIDERICIANI REGIMONTANI**

INSUNT SEDULI SCOTI CARMINA EDITA AB AEMILIO GROSSE



REGIMONTI PR.
TYPIS EXPRESSIT A. SCHULTZ.

MDCCCLXVIII.

THE HISTORY OF THE

REPUBLIC OF THE UNITED STATES

OF AMERICA

Sedulii Scoti

carmina inedita ex codice Bruxellensi descripsit Aemilius Grosse.

Sedulii Scoti carminum exemplum ex quo quae proferam descripsi variis et scriptorum et poetarum operibus adnexum numeroque 10735 notatum exstat in codice Bruxellensi saeculi duodecimi quem acceptum refero benignitati Guilelmi Schraderi, viri humanissimi. eius enim commendatione adiutus gravissima a summa liberalitate praefecti bibliothecae belgicae clarissimi facile inpetravi cum Dracontii de dei laudibus carmen tractarem ut bonus mihi commodaretur liber qui, quamquam in eo instituendae versuum illorum emendationis fundamentum est positum, tamen in usum nondum vocatus est ab editoribus. cum autem praeter quod quaesivi Bruxellensis multa alia comprehendat quae sint inexplorata datam libri exscribendi occasionem dimittere nolui. itaque nunc prodeunt Sedulii carmina, ut si non rerum gravitate at certe novitate haec scriptiuncula quodam modo commendetur. adhuc vero satis habui seligere non nulla e centum carminibus quae in bipertitis paginis centenos quadragenos versus complectentibus nitidissime sunt exarata inde a membranae folio 214 usque ad 223 neque varias de auctore — idem Sedulius scripsit explanationem in epistulas Pauli Basileae anno 1528 editam —, de aetate, arte, dicendi genere quaestiones attingam, pauca tantum de codice addam.

Atque dixerunt de eo Haenelius [Richter, Jahrbücher für Rechtswissenschaft 1837 p. 760 sq.], Pertzius [Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde 1839 p. 1004 sqq.], Reiffenbergius [Bulletins de l'academie royale des sciences de Bruxelles 1841 tom. VIII, 2 p. 247 sqq.] ita tamen, ut neque omnia enumerarent quae in eadem compage inclusa tenentur et editione inter se discrepent. Carolus enim Pertzius narrat membranam numero 10681 insignitam fol. 77. 78 complere Sedulii epistulas cum Haenelius ac Reiffenbergius ei Salviani tribuerint epistulas: utrumque frustra quaeres. namque S litera qua incipit fol. 77 (S. Siagrio Suo Salutem) nec Sedulium nec Salvianum significat, sed Sidonium ibique inveniuntur duodetriginta epistulae inde a quinta libri quinti usque ad sexti libri undecimam: reliqua Sidonii opera adparent fol. 123 sqq. ceterum eiusdem codicis mentionem fecerunt Theodorus Oehlerus, Jacobus Grimmus, Theodorus Mommsenus, alii. uno enim quod in Bruxellensi libro exstat exemplari et Polemii Silvii Laterculus et fragmentum illud admirabile P. Annii Flori Vergilius orator an poeta ad nostram pervenerunt aetatem nec non edita est ex eo ecbasis cuiusdam captivi. nuperrime autem Carolus Schenkelius varias scripturas earum paginarum quibus Mauricius Hauptius ad emendanda catalecta Vergiliana usus est composuit [Zeitschrift für oestr. Gymnas. 1867 p. 797], quod accurate non esse factum alio loco demonstrabo.

*

I

Florida Thespiadum soror ac praenobilis Eglae,
 Cynea mellifluos nunc cane, posco, tropos.
 obsecro Pegaseo flavum caput erige fonte,
 femina doctiloquax organicumque decus.
 5 syrmate purpureo glaucisque venusta capillis
 oscula da labiis Sedulio roseis.
 Musigenum plectro citharizans textito carmen
 permulcens aures nobilis Hartgarii.
 est pius ille melis condignus laude canoris,
 10 Europae sidus nobilitasque potens.
 aureus est ramus florens virtutibus almis
 egregiusque nitet moribus et specie.
 quo pastore pio laetatur filia Sion,
 exsultant variis dives inopsque modis.
 15 construit excelsam sublimi vertice turrim,
 centenis cubitis quo super astra volet.
 ingreditur scalam quae surgit in alta polorum,
 moribus et verbis instruit ipse greges.
 qui pastoralis disponens omnia cura
 20 eripiens agnos arcet et ipse lupos.
 pectora cui redolent flaventia musta sophiae
 oreque doctiloquo mellea dona fluunt.
 cui micat in vultu vernantis gratia formae,
 splendida sed menti gratia maior inest.
 25 ipsius in facie linguosi rhetoricantes,
 strophosusque loquax quo resonante silet.
 aurea lingua cluit triplicis cui fame vocis,
 tres veluti testes candida verba sonans.
 qui pro perpetuis lucris terrestria donat,
 30 dives in astriferis possit ut esse locis.
 aeternum salve, paradisi florida cedre,
 mitia doctrinae uertice mala gerens.
 te duce grex domini lacrimas in gaudia vertit,
 per te Francigenis prospera cuncta tuis.
 35 inter pontifices vestri veneranda potestas,
 eminent in cunctis pontificale decus.
 iustitiae parili dispensans omnia libra
 aequali gressu carpis in astra viam.
 per te Scotigenis requies praestatur egenis,
 40 gaudens, alme pater, hos pietate foves
 fronte serenifica quos adspicis, optime pastor,
 illis atque loquens candida verba seris.
 tegmine quo vestis quos pascis et, inclite praesul,
 pascis eosque cibo pascis et ingenio.
 45 vidimus haut talem sub caeli cardine patrem
 tantos thesauros qui pietatis habet.
 idcirco vestrum nomen, laus, fama per aevum
 pervolat, in terris scribitur atque polis.
 Tityrus in silvis ego tristis mente remansi,
 50 absens pastor erat nulla quiesque fuit.

I fol. 214 Incipiunt versus quos Sedulius Scotus venerabili pontifici Hartgario composuit

1. thepiadum corr sec thespiadum || 2. Cignea || 5. sirmate || 6. sedulie || 7. cytharizans || 8. hartgarii || 10. nobilitasque || 13. syon || 14. exsultant || 21. pectore || 25. rethoricantes || 26. strophosusque || 32. micia || 34. françigenis || 37. iusticiae || 41. aspicias || 43. tecmine || 49. tytirus

- quis vos subripuit Zephyrus, Rhenusne bicornis,
quadrupedale decus vos rapuitne, pater?
an vos puniceis nobis avexerat alis
splendidus Aurorae currus Amorque volans?
55 te magis elegit terrarum nobile sidus
ac Tithona suum spernit amore tui?
an mage credendum, quod vos pia dextra tonantis
angelicusque simul fertque refertque chorus?
gratia Francigenis quo te praesente coruscet,
60 albicet ecclesiis splendida doxa tuis.
sic et Apollo vagans rutilo decurrit Olympo,
lampade mirifica lux ut ubique micet.
venisti tandem patuli lux aurea mundi
a domino lata spes requiesque tuis.
65 dulcior es pulcris Hyblaeo nectare verbis,
carior auricomis es, pater alme, gazis.
adspice quam subito niveus chorus amplus et ordo
Leuticensis ovat te redeunte, pater.
hoc ut ovile deus Lamberto tradidit almo,
70 sic tibi Lambertus mandat ovile suum.
omnis ovans aetas ingentia gaudia gestat,
exultande sonat te remeante melos.
nec mea Musa tulit tacitis resilere labellis,
guttur sed liquido crispas amore tonos.
75 optima Francigenum lampas, spes aurea, nostri
heres Lamberti, quem decet altus honor.
montibus aeternis, ubi dives pastor Iesus
regnat cum domino, sis, bone pastor, amen.

II

- Vestri tecta nitent luce serena,
florent arte nova culmina picta
rident atque tholo multi colorum
et formosa micant schemata plura.
5 non sic, Hesperidum hortule, flores
marcescis subitis qui cito dampnis.
nam vestrae violae seu rosa pulchra
inhaesere tholis perpete sede.
sic ostrum rubeum, sic hyacinthus
10 non horrent tumidi flamina noti.
nostri tecta nigrant perpete nocte,
intus nulla nitet gratia lucis
pictae vestis abest pulchra venustas,
clavis nulla regit ac sera nulla
15 absis nonque micat compta tabellis,
sed fuligo tholo haeret in alto.
si, Neptune, plus imbris atris,
crebras rore gravi domata nostra.
Eurus si reboet murmure saevo,
20 haec quassata tremat aula vetusta.

51. surripuit zeferus || bicornus corr bicornis || 55. decus corr sec? sidus || 56. Aethitona ||
59. choruscet || 61. olimpo || 65. pulchris hibleo || 67. aspice || 68. Leuti census Leodicensis? ||
69. lamberto || 70. lambertus || 71. ingencia || 72. exultande || 76. lamberti
II fol. 214 Idem ad praefatum praesulem Hartgarium
3. tolo || 4. scemata || 5. siches peridum hortulae || 6. dapnis || 7. pulchra || 8. tolis ||
8. iacinthus || 10. nothi || 13. pulchra || 14. fera || 15. non quae || compta bella || 16. tolo

- Caci talis erat mansio tetra,
 talis caecus erat iam labor intus
 instar qui fuerat noctis opacae.
 sic et nostra domus — heu nefas ingens —
 25 horret palliolo fuscida nigro.
 nam lucente die noctis imago
 crassescit vetulis aedibus istis.
 non haec apta domus crede sophistis
 qui splendentis amant munera lucis.
 30 sed haec apta domus nycticoraci
 talparumque gregi mansio digna.
 O Lamberte, nigros collige caecos
 omnes, oro, tuos, transfer in istam.
 caecorum valeat semper in aevum
 35 haec obscura domus rite vocari.
 sed nunc, celse pater, splendide pastor,
 his subcurre malis, o decus almus,
 dic verboque pio, quo decoretur
 haec umbrosa domus prisca dierum.
 40 sit pulcrum laquear stigmatum pictum
 sit clavisque recens ac sera firma
 mox glaucae vitreae sintque fenestrae,
 quo Phoebus radios dirigat almus
 perlustretque sophos crine decoro,
 45 praesul clare, tuos lucis amantes.
 sic vobis, dominus, arce polorum
 aulae lucifluae pulera venustas
 praestetur digitis compta tonantis
 caelestis Solymae sede beata.

III

- Sicut optatus genitor piusque
 advenit gnatis patriaeque magnae,
 sic refers cunctis, pater alme, tecum
 gaudia lacta.
 5 postque praeclarum rediens tropaeum
 hoste prostrato pietatis armis
 victor exsultans manibus decoris
 prendito palmam.
 te decet talem meruisse florem,
 10 o decus belli meritis coruscum,
 arma qui vibras super astra nota,
 inclite praesul.
 protegis scuto fidei tuosque,
 macte! lorica galeaque Christi
 15 aureus fulgens gladio salutis
 proteris hostes.
 vester insignis niveusque coetus
 corde robusto volitat per hostes,
 conterit turmas agitans per arva
 20 Herculis armis.
- sume florentem meritis coronam
 quae necas hostes, iuvenum caterva,
 namque Normannus cecidit rebellis,
 praeda cruenta.
 25 tuncque Goliath obiit superbus
 magna qui belli fuerat columna:
 ceteri cedros simulabant altas
 more Cyclopum.
 testis est Rhenus fluvius bicornis,
 30 testis et campus madidus cruore,
 indicat litus rutilum tropaeum
 ossibus albens.
 unde congaudet populusque totus
 vosque prae cunctis bene dicit ipse,
 35 laudat hic uestrum celebratque zelum,
 optime pastor.
 sic tibi semper cumulat astris
 palma pro tali viridans agone
 te coronando, bone praesul, alma
 40 gratia Christi.

30. nycticoraci || 32. lamberte || 37. succurre || 40. pulchrum || 47. pulchra || 48. compta ||
 49. solymae

III fol. 215b Idem ad eundem venerabilem episcopum

5. tropaeum || 7. exultans || 10. coruscum || 14. mactet || 28. cyclopum || 35. hunc

III

- Nos sitis atque fames conturbat bestia duplex
 vulnificis rostris nos laceratque suis.
 nec nos oblectat praedives copia rerum,
 sed nos excruciat horrida pauperies.
 5 nec nos oblectant dulciflua dona Lyaei
 mellifluusque Medus domata nostra fugit.
 nec nos oblectat cacabus bis coctaue Mosa,
 flavicomae Cereris gratia dulcis abest.
 tenuida nos macerat crudelis bestia sophos,
 10 optime Christe, rogo, respice nos, domine.
 nec gustu facilis, nulli potabilis ipsa
 est quia nec Cereris dulcida progenies.
 non est Jordanis, non amnis filia Mosae,
 sed torrens cedron turbidus hanc genuit.
 15 haec sophicae mentis cunctas obnubilat artes,
 laetitiam removet tristitiamque gerit.
 flavicomum Cereris mentitur habere colorem,
 Ditalemm terris hanc removete feram.
 Lethaeo fluvio vosmet submergite monstrum
 20 seu stygiis undis condite tale nefas
 illic quo valeat crudeles solvere poenas,
 quae nos excruciat praemia digna luat.
 quid moror in verbis ventosque lacesso querellis?
 o pater, has geminas, obsecro, vince feras.
 25 large saluiferum contra vulnuscule, praesul,
 Sedulio famulo da cataplasma tuo.
 ast his versiculis risit pius ille relictis
 ac sophicis votis prospera cuncta dedit.

V

- Dicite cui populi conceditur ampla potestas,
 iam prisca Karoli nonne novo Karolo?
 maximus ille fuit Caesar metuendus in armis
 hostibus ecclesiae fulmen in orbe micans.
 5 hic zelo domini tumidos superare tyrannos
 fervet mente pia more sui Karoli.
 nobilis emicuit Karolus de semine regum,
 Europae princeps, imperiale decus.
 in hoc nobilitas triplicatur principe celso
 et patris et Judith atque avi Karoli.
 qui fuerat sapiens sapienter cuncta valebat
 sicque novo Karolo sacra sophia micat.
 ille fuit clemens, omnes clementer amabat
 Croesi seu Darii qui superabat opes.
 15 hic de thesauris largissima munera spargit
 cunctis Christicolis tam nova quam vetera.
 ille suum nomen misit trans Indica regna,
 huius fama nitens Thulen ad usque volat.
 sic utrumque replet totius climata mundi
 20 nomen Caesareum claraque pompa ducum.

III fol. 215 b Idem Sedulius ad praefatum antistitem

3. copio || 5. 6 in scidula quadam adfixa scripti sunt man sec || 5. non corr, ut videtur, nos || licii || 7. non corr
 pr nos || cacauis || 9. sophas || 15. arces corr sec artes || 16. tristitiamque || 18. tereris corr pr
 terris || 19. Lactheo || summergite || 20. stigiis || 23. querelis || 27. versiculis || V fol. 216 Ad
 eundem Karolum || 4. orme corr orbe || 18. tylen

- unde novum populo sidus lampabile visu
resplendet cunctis partibus occiduis.
rex tuus armipotens hic est, o Francia, gaude!
testatur nomen quod mea Musa sonat.
25. magnanimi Karoli specimen vultusque coruscat,
adspice quam flos est iste novus Karoli.
vincere tale decus nec lilia nec rosa norunt,
angelicos vultus sidus hoc adsimulat.

VI

- B**onus vir est Robertus, laudes gliscunt Roberti.
Christe, fave Roberto, longaevum fac Robertum.
amen. salve, Roberte. Christus sit cum Roberto.
sex casibus percurrit vestri praeclarum nomen,
5 nam lapis bene gestis sexangulus coruscas.
te lapidem descripsi, fors durum verbum dixi.
at ne sim lapidatus vos obsecro per lymphas.
pro quo duro sermone Bacchus sit mihi in ore.
si durus sermo meus, adsit mihi Lyaeus.
- 10 dives inopsque gaudet nam vestra pietate.
vix vobis est aequalis iuxta fluenta Mosae.
hoc retulit Mosella, hoc celebrat et Rhenus,
hoc mille tonant tonnae puro plenae Lyaeo
ingentesque bachones et cornuti multones
- 15 multiplicesque gazae Christi dono collatae.
sis licet doctus verbo, es doctior in corde,
es pater inter patres et sophus inter sophos.
imbres seris dicaces ex flumine Jordanis,
nam instruis perfusas caelesti rore mentes
- 20 et construis sublimem tendens in astra turrim
felicibus et visis superna specularis.

VII

- T**e, beate rex, precamur ore, corde, mentibus
quo serenus atque mitis des serena tempora.
ecce nunc aquosus aer imbre rura perluit.
uberis agros indes ut uber unda dissipet.
- 5 quaesumus, superne rerum temperator omnium,
frugibus sit te regente blanda temperatio.
cum precamur, alme rerum te imperator omnium,
vitibus sit te dicante ferulis serenitas.

25. choruscat || 26. Aspice || 28. assimulat
VI fol. 221 Item rithmici versiculi

5. choruscas || cf. fol. 215 in carmine ad Hartgarium:
bis Romam tendit, bis nos pius ille revisit,
est quia tetragonos vividus ille lapis.
pro domino primum Romanas visitat arces,
rursus pro populi pace salute redit.
ambulat ergo quater gemino succensus amore
adspice senarius hic micat ut munerus. (Hartgar)

7. limphas || 8. pro que || ⁱ m fortasse mi in ore || 9. assit || lieus || 13. lieo || 15. que om ||
21. quae sequuntur sunt mendosa:

Ex sopho inlatus nunc angelus clarescis
vere florente mundo te gaudeas beatum
post longa secla patrem montis Sion in arce ceu Lucifer in caelo
qui tristibus Falerna largiri gaudes dona
poteris fonte vitae Alma sanctorum sorte
nec tanta desiola grata manant fluenta
haec suxi non negabo haec sugam sibi spero

VII fol. 221 b Item (antecedunt versus ad Bertam)

6. temperacio || 8. sit supra te scriptum || vincante corr dicante

VIII

Caesar erat Karolus toto clarissimus orbe,
 Europae princeps imperiale decus,
 inclita progenies magni celsique Pipini
 sedibus astriferis nunc nova regna tenet.
 5 ex quo progenies Luodewicus nobilis heres,
 gloria Francigenum fulsit in orbe potens.
 mitibus ille fuit mitis multumque serenus,
 blanda columba bonis, at leo truxque malis.
 vertex Christicolum populorum, splendor honoris,
 10 magnificus Caesar dapsilis ac sapiens.
 quo moriente pio faustae post tempora vitae
 orbis contremuit caeruleumque mare.
 sed tamen astrigeri laetatur coetus Olympi
 quod Luodewicus ovans regna beatus habet.
 15 plaudite sed populi Francorum, plaudite ovantes
 cantibus organicis, voce levate melos.
 nam iubar exoritur nunc Caesaris inclita proles
 atque novus Karolus splendet in orbe decus.
 nunc mare, nunc tellus gaudent nubesque polusque,
 20 crismata laetitiae nunc pia corda replent.
 aurea namque modo regitur rota remigis ampli
 eximio Karolo Caesare glorifico.
 quam rotat ipse manu patria virtute triumphans,
 rite premens tumidos atque levans humiles.
 25 inclita nam domini sublimat dextera Christi
 illustrem regem glorificando virum.
 dicite cui populi conceditur ampla potestas
 iam prisci Karoli nonne novo Karolo?
 ille fuit manibus fortis David velut alter
 30 allophylos contra splendida castra movens.
 hic sedet altithronus celsi Salomonis ad instar
 floriferae pacis gaudia dans populis.
 uno sed Salomon templo celebratur in orbe,
 mille sed hic templis nomen in astra levat.
 35 ille fuit Solymae rex inclitus atque decorus,
 sed centum Solymas hic regit altithronus.
 illo gaudebant mons Sion, mons olearum,
 hunc Alpes sperant glorificum dominum.
 illum Jordanes glaucis resonabat in undis,
 40 corniger hunc Rhenus personat atque stupet.
 mente Salomonis sapientia prisca refulsit,
 hic nova cum priscais sacra fluentia bibit.
 hunc mitis pietas, hunc ornat larga potestas,
 diligit hunc Christus glorificatque deus.
 45 Gallicus orbis ovat tanto rectore refulgens
 Itala quem sperat terra beata ducem.
 pax tibi sit semper, triplex quoque gratia Christ
 rex pie, rex sapiens, inclite bellipotens,
 Francorum populi spes aurea, nobile sidus,
 50 exitium tumidis, gloria magna piis,
 splendida progenies Karoli de semine magni
 pacifer ut Salomon regia sceptrata tenens,

VIII fol. 217 b Idem ad Karolum

13. olimpi || 14. Luodewicus || 20. laetitiae || 30. allophilos || 31. 41. salomonis || 33. 52. salomon ||
 35. solimae || 36. solimas || 37. syon || 50. exitium

Caesaris es magni Luodewici florida virga,
 proles Isaac ceu benedicta micas.
 55 Abrahæ similis Karolus perfulserat orbem,
 filius Isaac sic Luodewicus erat.
 tertius es veluti Jacob benedictus et heres
 Isaac patris celsithronique ducis.
 ternarius reges numerus concludit eosdem,
 60 nam trinum numerum conditor orbis amat.
 prospera cuncta tibi concurrant, optime ductor,
 insignis virtus, bellica vis Karoli.
 omne decus Karoli sic te, bone rector, inauret,
 exultent cuncti, principe, te populi.
 65 gratia Francigenis et candida gloria crescat,
 per vos ecclesiae cornua clara levent.
 Francia laetatur nostri praeclara tropaea,
 Judaeus, Graecus fortia facta canunt.
 Scotus ab occiduis vos diligit, inclite rector,
 70 partibus hinc sophicis vos sonat ipse melis
 Normannusque tremit vestrum, fortissime, nomen
 invictique ducis splendida castra timet.
 sis decus ecclesiae niveis quoque gloria Francis,
 usque senectutis secla beata micas.

VIII

Gaudeant caeli, mare, cuncta terra,
 gaudeat Christi populusque vernans,
 facta miretur domini tonantis
 fortia patris.
 5 laudibus dignus bonitatis auctor,
 magnus in magnis opifex beatus
 cuncta dispensat dominante nutu
 sceptriger orbis.
 spes, salus mundi pius ipse rector
 10 conterens pravos humiles coronat,
 sublevat valles reprimitque montes
 celsa potestas.
 qui facit rectis radiare verum
 lumen in cordis speculoque mentis,
 15 quos tegit semper pietate pollens
 conditor almus.
 pauperes, dites, laici potentes,
 o coronate clericalis ordo,
 omnis aetatis decus atque sexus,
 20 plaudite cuncti
 brachium patris validum potentis
 ecce protrivit subita rebellem
 strage Normannum, pietatis hostem,
 gloria patri.
 25 proelium campo struitur patenti,
 splendor armorum radiat per auras,
 voce bellantum varia tremescit
 machina caeli.
 tela sparserunt geminae phalanges,
 30 Danus infelix sua dampna quaerit,
 ferreos imbres serit atque fixit
 agmen inorme.
 quem sitiverunt varios per annos
 sanguinem sumunt rabidi tyranni,
 35 dulce fit cunctis satiare pectus
 caede suorum.
 quique foderunt foveas ruere,
 quae fuit turris nimium superba
 ecce curvatur nihilata Christo,
 40 gens inimica.
 sternitur grandis populusque fortis,
 tota contrita est maledicta massa,
 sorbet hos mortis sobolem malignam
 laus tibi, Christe.
 45 hinc ferunt stragem populi fuisse
 praeter ignotos hominesque viles
 horrido campo nimio cruore
 tres myriades.
 iustus est iudex dominator orbis,
 50 Christianorum decus omne Christus,
 gloriae princeps, domitor malorum
 regmine summo.
 fortis est turris, clipeus salutis
 conterens bello validos gigantes,
 55 cuius excelsum super omne nomen
 est benedictum.

VIII 57. Tercius || 67. trophea || 68. forcia || 69. Scottus
 fol. 220 De strage Normannorum
 4. forcia || 10. conteres || 14. lumen supra i. e. Christus || 'mtis || 18. o cl coronate || 29. tala ||
 34. tyranni || 35. saciare

ultor existit populi fidelis
 qui maris quondam tumidis procellis
 pressit Aegyptum celeres rotasque
 60 obruit imo.

ostriger Jesus super omne regnat
 quicquid excelsus genitor creavit,
 stirpe Davidis benedicta proles,
 gloria nostra.

65 cui rependatur thymiama voti,
 quem celebremus pietatis actu,
 cui melos promat super astra regi
 fistula laudis.

gloriae plausus modulans osanna
 personet: patrem genitumque Christum,
 spiritum sanctum polus, unda, tellus
 glorificate.

X

Caesareum specimen, laus orbis, gloria mundi
 eximium sidus, Caesareum specimen,
 regia nobilitas magnorum flosque parentum,
 semine de Karoli regia nobilitas,
 5 accipe versificos hos flores mente serena,
 o Luodewice, modos accipe versificos.
 Caesaris egregii Luodewici principis almi
 altipotens proles Caesaris egregii,
 nullus erat trifido quo dux praestantior orbe,
 10 clarior in mundo nullus erat trifido.
 sanctior haut fuerat rector clementior illo
 alter et Augustus sanctorum haut fuerat.
 induperator erat spargens in sidera nomen,
 praecelsus meritis induperator erat.
 15 quo moriente pio totus tremefecerat orbis,
 omnes maerebant quo moriente pio.
 regna beatus habet pius ille sed omne per aevum,
 inter caelicolas regna beatus habet.
 Gaudia longa metit Luodewicus in arce polorum,
 20 montibus aeternis gaudia longa metit.
 splendide rame, micas ex ipso Caesare ramus,
 flos magni Karoli, splendide rame, micas.
 tune novum populis lumen mirabile visu
 resplendes sidus tune novum populis?
 25 Africa laeta suo clarescit rite Canopo,
 lumine congaudens Africa laeta suo.
 te quoque magnanimo duce sic Europa coruscat,
 sidere laetatur te quoque magnanimo,
 nunc patriumque decus te te cognoscit habere,
 30 aetherium munus nunc patriumque decus.
 quid prius, alme, canam, clarissima vestra tropaea,
 iustitiaene decus, quid prius, alme, canam?
 lilia pacis amas bellorum mixta rosetis,
 pectore Caesareo lilia pacis amas.
 40 te decet armipotens sublimis gloria patris
 omne decusque tui, te decet armipotens.
 nomen honosque cluit boreali climate vestrum,
 finibus in cunctis nomen honosque cluit.
 vos timidi trepidant Germani bellipotentis
 45 Normannique truces vos timidi trepidant.
 nutibus atque tuis sese nunc subdere gaudent,
 iam servire volunt nutibus atque tuis.
 subdere colla placet praeceptis omnipotentis,
 vobis prae cunctis subdere colla placet.

58. aegyptum || 65. thymiama
 X fol. 218 Idem ad Lodewicum regem
 2. 24. sydus || 9. praestantior || 13. sidera || 19. Luodewicus || 22. micas man sec || 25. 26. Africa ||
 27. coruscat || 29. patriumque || 30. aetherium || trophea || 32. iusticiae || 42. boreali

- 50 qui fuerant populi fidei sine lumine furvi,
 lustrantur caeci qui fuerant populi.
 eripis, armipotens, praedam de fauce draconis,
 praeclaros populos eripis, armipotens.
 gaudet ovile dei niveo grege quod cumulatur
 55 per te, bellipotens, gaudet ovile dei.
 ecce stupent hilares ex corvis esse columbas
 sese gentiles, ecce stupent hilares.
 perfide, crede deo sivis albescere, corve,
 ne moriare miser, perfide, crede deo.
 60 namque tui similes Christi decorantur amictu,
 non sunt quod fuerant namque tui similes.
 exue nunc veteres maculoso schemate formas,
 Aethiopum tunicas exue nunc veteres.
 agnus et esto nitens, renovatus munere Christi,
 65 inter Catholicos agnus et esto nitens.
 barbara lingua sonans alleluatica discat,
 carmina det laudes barbara lingua sonans.
 sic ducis eximii Luodewici bellica dextra
 iraque mitescet sic ducis eximii.
 70 cunctus ab axe venit borealis climatis ordo,
 linguosus populus cunctus ab axe venit.
 te Salomona pium votis exoptat habere,
 eligit in regem te Salomona pium.
 quos neque perdomuit Caesar tu solus habeto,
 75 ingens Augustus quos neque perdomuit.
 sidere Caesareo felix Germania gaudet,
 te lustrata micat sidere Caesareo.
 Francigenum populus plaudit Rhenusque bicornis
 vestra tropaea canit Francigenum populus.
 80 tendit in occiduas vestri laus nominis oras,
 fama decusque plagas tendit in occiduas.
 Scotus amore sonat vestrum laudabile nomen,
 Normannus trepidat, Scotus amore sonat.
 Gallia dives ovat transactis mille triumphis,
 85 se plangunt humiles, Gallia dives ovat.
 principe, te domino rutilat nova gloria seculo,
 gaudent ecclesiae, principe, te domino.
 aurea secla tuis nunc florent prospera sceptris,
 disponis Francis aurea secla tuis.
 90 splendide rector, ave, Christi quoque floride palmes,
 bellantum domitor, splendide rector, ave.
 edite Caesaribus, regum pater alme future,
 o dux altipotens, edite Caesaribus.
 sis decus armipotens bellis ac Martius ardor
 95 murus et ecclesiae, sis decus armipotens.
 gloria Francigenis ac mitis gratia gliscat,
 floreat ut cunctis gloria Francigenis
 quos regis imperio domineris perpete scepro,
 invicti mancant quos regis imperio.
 100 cunctipotens tribuat per longos vivere cyclos,
 gaudia magna tibi cunctipotens tribuat.
 regna beata queas virtutum scandere pennis,
 semper habere polo regna beata queas.

56. corbis || 58. credo || 62. scemate || 66. allatica cf. fol. 217 b ad Lotharium regem: splendida
 castra sonant allatica verba Hymnos altithrono splendida castra sonant || 72. 73. salemona ||
 82. 83. scottus || 85. humides || 94. marcius || 100 ciclos

XI

- Q**uid mendosa tibi retulit vulpecula pastor,
 fors eructavit quos bibit illa dolos?
 an tetros vomuit carbones ore nigello,
 garrula gannivit subdola verba sonans?
 5 forsitan obclusis mortem sibi finxit ocellis
 prendere quo superas arte valeret aves?
 an rufa per mentum sub ovina veste latebat
 ne quis eam noscat matris habere strophas?
 an tortis pedibus gyros contexuit illa
 10 obliquos peragens cursibus illa cyclos?
 forsitan et vobis retulit quod lymphida Mosa
 iam nullos pisces, nulla fluenta tenet?
 sed tu, celse pater, iusti speculator et aequi
 vibratis oculis figmina falsa nota.
 15 quo modo noctigenas dispellit Lucifer umbras
 lampade iustitiae sic renitesce tuis.
 igniscat zelus recti te iudice, quaeso,
 fulminea norma destrue grande nefas.
 sint perturbati qui turbavere serenos,
 20 nec sileat silice formula iustitiae.
 cornuta facie ceu Moises esto coruscus,
 ceu iudex Daniel destrue falsa minax.
 scandala sint illi qui nobis scandala movit,
 scandala qui loquitur scandala quique facit.
 25 o polus, o tellus, o Titan, o mare magnum,
 exaudite meum carmine vos gemitum.

XII

- Q**uamvis astrigeros decoret curvamine tractus
 Iris in aereo roscida curva polo,
 quadricolor croceis signet vestigia plantis
 Titanis rutilos excipiens radios:
 5 altera sed vestris, si fas est dicere, tectis
 multicolor varians Iris honore micat.
 aureus in primo color enitet ordine flagrans,
 gramineus sequitur veris honore virens.
 purpureum flagrat specimen mirabile visu,
 10 sapphirus ridens spargit in astra decus.
 emicat et vitreus supter supraque coruscus,
 glaucicomum pelagi gaudet habere modum.
 nobilis altithroni crucis exprimitur decus alnum
 vitrea qua varium luna carpit iter.
 15 aureus ac viridis croceus color aeriusque
 conveniunt domino qui regit astra deo.
 sic ruber ac viridis hominem per vulnera passum
 aureus aerius scepra dei que canunt.
 Phoebus amat talem niveis et crinibus aulam
 20 dedicat inlustrans adscipit atque polo.
 tempore brumali pollent hic verna serena
 fitque hiemps aestas tempore nubifero.

XI fol. 221 Item de ipso falsidico teste (anteceedit oratio ad falsidicos testes)

5. ocellis || 9. gyros || 10. ciclos || 11. lymphida || 15. 20. iustitiae || 21. moyses ||
 choruscus || 23. olli

XII fol. 218 b Idem de quadam speciosa domo

2. aereos || 10. sapphirus || 11. choruscus || 15. ereusque || 18. aereus || 20. inlustrans aspicit

- inclitus hinc fratrum coetus pia gaudia ducit
 hic das laetitiam, clare Lyaeae, novam.
 25 oscula das pacis, felicia pocula donans
 permulces sophicos, optime Bacche, viros.
 hic est libertas, Liber hic liberat omnes,
 liber ut esse queam Liber adesto pater.
 sancte vedaste fave ne sternat forte Falernum
 30 sed nos laetificet dulce madoris ope.
 nos, fratres, modicum vini modiumve bibamus,
 Bacchicis in cunctis sit modus aut modius.
 laudibus eximiis modius laudabilis extat,
 talem mensuram nam deus instituit.
 35 sex fratres modium sumant, nam grammate sene
 nobile conscriptum nomen habet modius.
 ast simpli fratres potent sextaria dupla,
 unusquisque bibax iambica metra sonet.
 senarium versum sex una voce canentes
 40 mundi totius senaque facta sonent.
 fors deus altithronus haec tam sollemnica vota
 respiceret supera qui sedet arce poli.
 sed nos, eximii fratres, laetemur in unum,
 in dominoque deo gaudia nostra cluant.

XIII

- Inclitus ecce comes rediit lumenque serenum,
 armipotens ductor nunc Eberhardus adest.
 quem nobis Alpes, quem Longobardia remisit,
 excipe praeclarum, Francia, laeta virum.
 5 floridus advenit cunctis in gaudia palmes,
 splendor Francigenum Christicolumque decus.
 doxa triumphalis bellis ac Martius ardor,
 Hunroci proles haec benedicta nitet:
 Africa quem trepidat horret Maurusque nigellus
 10 tu, Saracene, tremis bellica gesta viri.
 Roma sed admirans ducis inclita facta beati,
 Italiae clipeum gaudet habere pium.
 pulchrior hic auro pretiosior atque topazo,
 moribus in cunctis eminet iste bonis.
 15 protegit hunc Christus clipeo gladioque salutis
 lorica fidei sic galeaque spei.
 non hunc aequiparat Hector, non magnus Achilles,
 fors an eum Gideon adsimulare potest.
 est bonitatis amans, placidae fit pacis amator,
 20 hic dux bellipotens sidus in orbe micat.
 iustitiae pennis per scalam scandit Jacob
 nec mancus dextra splendida dona ferit.
 cui sub corde pio dives clementia pollet,
 in cuius vultu gratia blanda nitet.
 25 cuius et in claris fulgescit gloria gestis.
 alma Maria roget, protege, Christe, virum.
 inter Francigenas sublimi vertice palmas
 hic pius atque bonus florida palma viret.

inter 23 et 24 scriptum est: verba comoediae || 24. laeticiam clarae licae || 26. bache || 42. supero
 XIII fol. 222 Ad Eumrhardum comitem
 2. euerhardus || 7. marcius || 9. Affrica || 13. preciosior || 18. gedeon assimilare || 20. sydus ||
 21. iusticiae || 27. bonas

- mitibus est mitis, miseris fit dapsilis ille,
 30 moribus in sanctis est ovis inter oves.
 at si quando viro zelus fervescit in ore,
 cordis fit subito maximus ipse leo.
 non illum terret sonitus clangorque tubarum,
 sed neque Normannos inelitus ille timet.
 35 obsecro, ferte viro, victrices ducite palmas
 bellorumque rosis vos decorate virum.
 diligit is Christum, sic Christus diligit illum,
 per hunc ecclesiae cornua clara levans.
 discite Francigenae cuius vos discite gesta,
 40 virtutes clari mente tenete viri.
 hunc pater, hunc genitus, hunc sanctus spiritus, oro,
 magnificet terris glorificetque polis.

XIII

- T**empora iam volitant cyclicis fugientia pennis,
 ceu scit plaustrigeri concava sphaera poli.
 fugit September, properans October anhelat,
 autumnus finem tendit ad usque suum.
 5 cana hiemps celebrat glacialibus horrida crustis
 et fert nubigenis nubila tristis aquis.
 tu solamen eras spe nobis, inclite praesul,
 adversus tumidi flamina dira noti.
 heu bruchus timidus fors hic torpebo latebris
 10 visere dilectum non valeoque meum.
 horrida plus aspris sunt haec mihi tempora rhamnis,
 quod mihi sophistae pastor amoenus abest.
 pro tenebris lucem reputo pro nocte lucernas,
 heu quia nec claram lampada cerno meam.
 15 at cum parebit cunctis praedulcior ille,
 cedite vos rhamni nox et abito nocens.
 nubila tristitiae tunc linquent corda piorum,
 tunc pax et requies paschaque mentis erit.
 gratia vos domini multis comitetur in annis,
 20 gratis glorificet gratia vos domini.
 sum memor ecce tui, testatur parva camena,
 sis memor, oro, mei, sum memor ecce tui.

XV

- F**rondebis in salicis suspendimus organa nostra,
 cana hiemps vetuit nos resonare tropos.
 horrida corvino squalebat barbula mento
 asperior rhamno vultus eratque sopho.
 5 rauca sonabat enim pastorea fistula nostra,
 nos quia deseruit pastor honestus oves.
 indoluit tam grande nefas verbosa camena
 et cyneos vultus abdidit ipsa suos.
 fonte camenali glauco circumdata peplo
 10 submersit flavum sacra virgo caput.
 ast ego maestificus tristabar musicus Orpheus,
 Eurydice liquit me quia sponsa mea.

31. ara || 37. Christus diligit *corr* Christus diligit || 40. spiritus sanctus
 XIII fol. 222 b Idem ad eundem (Guntharium Coloniensem episcopum)

1. ciclicis || 2. spera || 8. nothi || 9. timidus || 11. rhamnis || 16. ramni || 17. tristitiae || 19. paschaque
 XV fol. 215 Idem ad supra memoratum pontificem (Hartgarium)

3. corvino || 4. ramno || 5. fistula || 8. cyneos || 10. submersit || 12. eurydice

sed cum florigeri micuerunt tempora veris,
 dulcisonis cecinit Calliope modulis.
 15 aedibus in nostris melliflua carmina promsit
 graecula graecisans ore sonora modos.
 tunc me tristificum solatur carmine vatem
 harmonico cantu mystica verba sonans:
 'Sedula sum, ave, tumosae filius amnis,
 20 tu Maro Leodii Musigenumque comes.'
 tunc et odoriferis caelesti nectare guttis
 asper fit sophicum corque iecurque meum,
 ambrosiumque dedit potum mirabile gustu,
 ex paradisiacis quem tulit illa locis.
 25 quo sorbillato surgunt nova gaudia menti,
 artis amor gliscit Calliopesque novae.
 mox hirsuta mihi cecidit scabrosaque barba
 et vultus statim sophicus emicuit.
 ut me conspexi decoratum munere divae,
 30 in sacras aures paucula verba loquor:
 'unde venis', inquam, musarum splendida doxa,
 fontene Pegaseo Hesperidumve domo?
 heu quam tristifico doluerunt corcula vati,
 te non praesente, sponsa venusta mea!
 35 illa sed e contra dulci sic gutture fatur
 permiscens blandis musica verba locis:
 'te quia pigra hiemps glacialibus horrida crustis
 Romanas arces visere prohibuit,
 haut potui segnem vobiscum degere vitam,
 40 pastorem rutilum sed comitata meum.
 nam quamvis timidus mansisti garrulus Orpheus,
 assecla pastoris Calliope volui.
 nam mihi fas fuerat latiores cernere terras,
 quis meus altiloquus floruit arce Maro.
 45 me decuit sophicas Laurentum visere turmas,
 num quidnam solus clarus Homerus eris?
 si tibi Leodium dulcescit ceu pia mater,
 nec minus est dulcis Mantua clara mihi.
 si tamen oblectet secretas noscere causas
 50 migrandi Romam, has breviter referam:
 Caesaris eximii Francorum iure Lothari
 pacificis votis consiliisque piis
 nec non consensu populi magnique senatus
 ad hoc eligitur nobilis Hartgarius.
 55 inclitus hic generis florenti stemmate fulget,
 pulcer hic ingenio pulcer et eloquio.
 hoc visum patriae magnae synodoque beatae
 mittere tam clarum pontificale decus
 ad Petrum primum, quia primus pastor habetur
 60 caelestis Solymae claviger atque potens.
 hinc renovare tuas res amplas, inclita Roma,
 regum Roma parens Ausonidumque decus,
 sed modo Francigenis trifidum famosa per orbem,
 veris Christicolis Caesaribusque piis.
 65 nos iter adripimus brumali tempore canum
 per niveos campos per vitreasque vias.

^{va}
 17. firm corr sec? || 18. armonico || mistica || 19. sunt || 22. sit || 23. ambroseumque || 37. hyemps ||
 43. laciores || 46. quinnam || 56. pulcher || 59—62. in scida quadam membranacea quae adfixa est ab alia
 manu adiecta sunt || 60. solime || adque corr atque || 65. arripimus

- sed fide pastoris veluti fervore sinapis
 frigora mitescunt et glacialis hiemps.
 adfecit quotiens supra nos caerulus imber,
 70 eloquii rivis ipse levabat aquas.
 credo patris nubes tunc suspendentis aquosas
 filius ut celsus Bartholomaeus erat.
 quadam forte die cum nostra poemata legit,
 adloquor eximium venerata virum:
 75 „en ego Sedulii sum vestri musica coniunx,
 Cycnea Calliope vos sequor alme pater.
 Europae quoniam nimias transcurrere metas
 gressibus exiguis ipse sophista nequit,
 venimus Orphei nos vestri sic vice furvi:
 80 pro vobis triplicat psalliger ipse preces
 isque domi residens scrutatur sidera caeli,
 Laurens sit subito Graeculus atque sophus,
 ventoso sonitu formas se vertit in omnes
 dulcisonas musas nos pepulitque foras.“
 85 haec dum prosequerer tum riserat, ille beatus
 oscula dans pacis „nostra“ ait „esto comes,
 accipe condignum munus tibi tale, Camena,
 Orpheo lyrico quod dare disposui.“
 tuncque meo capiti donat diadema venustum
 90 margaritatum syrmaque mirificum.
 nos tandem laeti Laurentum cernimus arces,
 praeclaras urbes ac varias species,
 egregios populos quos educat Itala tellus
 florigeros agros cunctaque plena bonis,
 95 omnibus inque locis Lamberti nobilis heres
 caelestis uerbi sacra fluentia serit.
 cognouere uirum populi cuiusque beatum,
 claruit angelicis vultibus ipse suis.
 exultant cuncti, laetatur maxima Roma:
 100 pacis adest clamant angelus atque sator.
 gressibus hinc placidis Simonis tendit in aulam.
 „angelicos inter qui rutilare choros,
 exspectate, venis“, tum Cephas aureus inquit,
 „almi Lamberti maxima cura tui!“
 105 caelicolaeque sonant: „salve, spes aurea caeli,
 concives noster tu quia semper eris!“
 tunc mox secretis Cephas nosterque loquellis
 angelica lingua mystica verba serunt.
 o utinam tales potuissem noscere voces!
 110 quae superant Musas harmonicosque tonos.
 imbribus at noster praesul rigat ora genasque
 gaudifluis lacrimis pascitur ipse suis
 fuderat atque preces puro de corde creatas,
 murmurat et gemitu sacra columba pio.
 115 Augustum magnum regem regumque precatur
 orans pro populo Caesare proque suo.
 claviger astrisoni tunc inquit Petrus Olympi:
 „althithronus vestras audit in astra preces,
 terrestres Caesar vos diligit, ast mage summus
 120 regnorum rector, pastor Jesus amat.

- hanc igitur totam maturis imbris urbem
 inrora pacis candida dona serens.
 i, decus Italicum, Romae splendorque senatus,
 conserva proprias, floride praesul, oves.“
 125 haec Cephas dicens libavit et oscula nostri
 oreque pastoris pastor et ora premit.
 urbe remigramus transactis ordine rebus,
 ver pictum ridet foreque purpureo.
 candidus hinc aries pastorem vexerat alnum
 130 cornibus auratis picta per arva volans.
 ast ego maesticum te noscens esse Maronem
 aligero cursu visere te volui.
 me nam Calliopen per nubes duxit aquosas
 Pegasus hinnipotens Musigenumque chorus.
 135 quacsoque rugosas frontis deponito sulcos,
 cum redeat noster praesul et amplus amor.

XVI

- F**loridus adveniat nobis in gaudia palmes,
 Franco decus iuvenum fulgida spesque senum.
 ecce serit lacrimas Augustus mensis opimas
 exquirens vultum, Franco venuste, tuum.
 5 September nobis gravidos parat ecce corymbos,
 nutrit apostolico roscida vina novo.
 sabbata tunc nobis septeno mense nitescent,
 tu scenopegiae gaudia festa dabis.
 tu dextrum sidus dextrali climate fulgens
 10 non dedigneris has radiare plagas.
 defleo Sedulius, veluti scit conscia Musa,
 quod nec Franconem nunc video dominum.
 hanc culpam vobis indulgeat, obsecro, Christus,
 quod maesto vati non cito fertis opem.
 15 mitte, Mosella, virum nobis huc, mitte beatum,
 pulcrum Karoliden spemque decusque pium.
 gaudens gaudebo, cantans cantabo camenas,
 vincet septenos tunc mea Musa cygnos.
 quo modo glaucicomas cervus desiderat undas
 20 sic cupio vultum, praesul amande, tuum.

133. Calliopen || 136. quae sequuntur notavi p. 6, finem carminis omisi.
 XVI fol. 218 b Ad Franconem
 5. corimbos || 8. scenophegiae || 9. sydus || 16. pulchrum || 18. cignos.

